Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38224
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

In multiloquio peccatum non deerit. Qui autem moderat labia sua prudentissimus est.

Argentum electum lingua iusti. Cor impiorum pro nihilo. Labia iusti erudiunt plurimos.

Qui autem indocti sunt in cordis egestate morientur.

Benedictio domini diuitiam facit nec sociabitur eis adflictio. Quasi per risum stultus operatur scelus. Sapientia autem est uiro prudentia.

Quod timet impius ueniet ei. Desiderium suum iustis dabitur.

Quasi tempestas transiens non erit impius. Iustus autem quasi fundamentum sempiternum.

Sicut acetum dentibus et fumus oculis sic piger his qui mittunt eum.

Timor domini adponit dies. Et anni impiorum breuiabuntur. Expectatio iustorum laetitia. Spes autem impiorum peribit.

Fortitudo simplicitatis uia domini et pauor his qui operantur malum. Iustus in aeternum non commouebitur.

Impii autem non habitabunt in terra. Os iustorum parturiet sapientiam.

Lingua praecuorum peribit. Labia iusti considerant placita et ora impiorum peruersa.

Statera dolosa abominatio apud dominum. Et pondus aequum uoluntas eius. Ubi fuerit superbia ibi erit